

---

# STEPHANUS DE LICIAO

GRANDIMONTENSIS PRIOR QUARTUS

---

## NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 648)

---

Stephanus II de Liciao, Lemovicensis patria, sub cujus moderamine ordo in domibus plurimum dilatatur. Hic etiam gesta Stephani confessoris conscribi ac recitari fecit, ut notat Chron. Grandim., ubi dicitur discretus, largus in eleemosynis, potens opere ac sermone, in oratione devotus, in jejuniis assiduus, qui gregi feliciter praeiit; mortuus est, ut arbitrantur 1161, iii Non. Januarii. Habet illud epitaphium: *Hic jacet dominus Stephanus quartus prior, oliva fructifera in domo Domini, vixit in prioratu xxiii annis*: ita Pandulfus de Garda et Joannes l'Evesque. Ipsius tempore Henricus II rex Anglorum monasterium Grandimontense locupletavit; regum quoque et principum munificentia, in variis partibus construebantur cellae aut prioratus, quae Grandimontensi Ecclesiae matri subiciebantur, pro sana pietatis fratrum huius cenobii.

---

# Dicta et facta S. Stephani de Mureto

AUCTORE STEPHANO DE LICIAO.

(Vide supra col. 1071 ad calcem Vitae S. Stephani de Mureto auctore Bernardo Itherii. Confer D. Marteani Admonitionem Vitae S. Stephani praefixam.)

---

# PETRUS BERNARDI

ALIAS DE CORILO

GRANDIMONTENSIS PRIOR QUINTUS

## NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 649)

---

Petrus III Bernardi, de Boschiac, oriundus ex nobili familia, frater Bernardi Aimerici de Bré, ut scribitur in quodam libro antiquo S. Martialis, electus vii Id. Februarii ejusdem anni, de sua electione certum fecit Henricum II Angliae regem, qui eidem scripsit anno regni sui septimo. Hic prius miles uxoratus, post caenobita, ac denique presbyter ordinatur; vir religiosus vita et moribus, vitiorum hostis rigidus, ac decessoris sui virtutum egregius imitator: quae et plura enomia de illo memorantur in Chronico Grandim. Anno 1165 di-

cata est ecclesia B. Mariae Grandimontis iv Septemb. consecrante majus templum Petro Bituricensi patriarcha, astantibus Bertrando Burdegalensi, Geraldo Lemovicensi, Engolismensi, Cadurcensi, Sagiensi, et aliis pontificibus. Iste totum refectorium abbatiae cum testudine lapidea de novo praclare instauravit: item ecclesiam perfecit ex parte capitis usque ad ingressum chori clericorum, quae antea inchoata fuerat, et facta a parte inferiori. Eo sedente sit quaedam translatio corporis beatissimi Stephani a claustrum in ecclesiam, praesente Geraldo